

magna curva, a qua ad ventrem lineae multae transversae interpunctae descendunt, ducitur; pars quae supra et inter oculos est, flavescit, aurique colorem imitatur. Cauda in unicam non divisam, neque crescentis Lunae figura, Thynnorum et Pelamydum more, definit.

Locus ipsis ima maris sedes est.

Plin. H. N. l. 9. c. 15. Saepe navigia^f velis euntia comitan-

tes, mira aliqua dulcedine per aliquot horarum spatia, et pascuum millia a gubernaculis non separantur, ne tridente quidem saepius in eos jacto ter-
Oppian. Halieut. l. 1. Aelian. H. A. l. 2. c. 15. h Athen. l. 7. riti; ubi terram^g persensere, recedunt, nec longe abesse nautis colligitur. Inimicos experiuntur Delphinos, sed magno horum exitio. Degustatis enim illis, continuo convelluntur, furoreque incensi, pelluntur, ad lit-
h Athen. l. c. Plutarch. ultra animal. tora, esca marinis avibus futuri.

Amiam ^b seu *παρά το ἀμαίναντα* *παράπλησιαις*, quod una cum sui generis piscibus eat; sive quod *κατά μίαν* *Φέρεται ἀλλὰ ἀγγελῶν*, quod non solitaria sit, sed gregatim vivat, ita dictam,

Aelianus ⁱ *Troctam*, Hispani *Bizam* quasi *Bizantium*, alii *Bonitam*, vocant.

Tab. III. 6. Jovius et Salvianus pro ea *Lechiam*, alii *Sphyraenam*, quidam illum piscem qui Hispanis *Lambugo* dicitur, perperam substituunt. Piscis est ^k *Pelamydi*, vel *Thunno* vel *Scombri* corporis specie, pinnis caudae similis, cute laevi, ea parte, quae circa branchias est, dempta, *rostro* acuto, oculis parvis auri aemulis; *dentibus* ferratis, acutissimis, in os recurvis; *branchiis* opertis, *ventre* crasso, argenteo, rugoso, longo, ad podicem usque demisso, cujus appendices sunt innumerae *scombrorum* appendicibus tenuiores; *dorso* caeruleo, et

dum vivit splendente; a quo ad ventrem lineae ductae sunt obliquae, nigrantes, certis intervallis a se distantes. *Caudam* habet tenuem, in figuram lunae in cornua curvatae, *intestina* gracilia, *hepar* rubescens, *splenem* nigram, *feltoti* intestino* attextum, vel ad illud porrectum^l pari cum eo longitudine, saepe etiam replicatum.

Degere in mari, stagnis et fluviis affirmat^m *Aristoteles*, et cum eoⁿ *Scaliger*; vicinum fluviis et stagnis ob dulcem aquam et limum amare, *Oppianus* ^o *Pontum* subire, atque ibi cum suis ducibus aestatem traducere, tum quod ibi belluae magnae pauciores, tum quod ob dulcium^p aquarum permissionem, pastus gratior; unde eorum incrementum^q singulis diebus intelligitur, certum. Circa Provinciam in maris angustiis, quas insulae frequentes efficiunt, capi, *Rondeletius* author est.

Vescuntur^r aliquando alga, ut plurimum carne. Audaces et celeres sunt; quin *Troctam* saltu valere *Aelianus* loco supra citato scripsit.

Pugnam cum *Delphinis* apud^s *Oppianum* eleganter descriptam invenies; idem de *Troctis* apud^t *Aelianum* legitur. Captae profiliunt, et ar-
rosa linea aufugiunt. Appetuntur a quibusdam piscibus in escam, *Glauco* inprimis, si *Tarentino* fides est.

Adhibentur^u in *cibis* tanquam boni succi ad excernendum medii, sed parce nutrientes. *Archestratus* autumnus tempore post *Vergiliarum* occasum, *Byzantias*que inprimis commendat; procul a mari *Hellepontico* deteriores scribit; si vicinum *Aegei* maris tractum pertransieris, pristinam gloriam maculare invenies.

ARTICVLVS III.

De Xiphia seu Gladio.

Tab. IV. l. 2. Piscem qui a figura rostri *XIPHIAS* communiter, *σιφίας* *Epicharmo*, *ξιφίος* ^a *Menandro*, *Gladius* Latinis dicitur, *Homerus* ^b *κύνα*, *Hesychius* et *Varinus* *Θερωνία*, alii *Thranin*. *Hermolaus* *Tomum Thurinum*, ita enim apud *Plinium* legit; forte a *Thuriis* Italiae oppido. *Albertus* *Militem* appellat, *Galeum* a ^e *Plinio* vocari; *Salvianus*

et *Massurius* perperam opinantur.

Magnitudine interdum est insigni. Ad decem nonnunquam cubitos accedere, tradit^d *Rondeletius*. *Delphini* magnitudinem excedere, ^e *Plinius*; *naviculas* aequare, ^f *Strabo*. *Corpus* habet teres a capite statim valde crassum, deinde ad caudam usque tenuius, in extremo ante caudae exortum eminen-

* *Aristotel. de part. Animal. l. 4. c. 2.*
^l *Aristotel. H. A. l. 2.*

ⁿ *Scalig. Jeft.*

^m *Aristotel. H. A. l. 8.*

^o *Oppian. Halieut. l. 1.*

^p *Arist. H. A. l. 8. c. 13.*

^q *Aristotel. H. A. l. 6.*

^r *Aristot. l. 8. Hist. c. 2.*

^s *Oppian. Halieutic. l. 2.*

^t *Aelian. H. A. l. 12.*

^u *Aristot. H. A. l. 4. c. 8.*

^d *Rondel. in Hist. c. Plin. H. N. l. c.*

^e *Plin. H. N. l. c.*

^f *Strabo.*